

AUXILIANTE DEI CLEMENTIA

JCARUS

in

MARE JCARIUM PRÆCIPITATUS

ceu

DISSERTATIO

QVA

HOMINEM AD VOLANDVM
ESSE INEPTUM OSTENDITUR

Quam

SUB PRÆSIDIO

JOH. LUDOV. HANNEMANNI,
D. & Phycicæ Professoris Ordin.

Leopoldinæ societatis Nestoris II.

defendet

GEORGIUS MATTHIAS *Girsch* /

Goslariensis, J. U. Studiosus.

D. August. Anno 1709.

KILONI, Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

Mechan.

275,41



//.

AUGUSTINUS DEI CEMENTIA

IOHANNES

MARE JOHANNIUM
PRAECIPITATUS

DISSECTIO

QUA

HOMINEM AD VOLUNTARIUM
ESSE LIBERTUM OSTENDITUR

QUAM

QUE PRÆSIDIO

IOH. LUDOV. HANNEMANNI
D. & P. Licet Professoris Ordin.

Leopoldinae Societatis Nichole M.

deinde

GEORGIUS MATTHIAS

Goslaris T. U. Studii

A. August. Anno 1702

in Lipsiae Libreria de Kuchel, Acad. Typogr.

Allocutio ad nobilissimum Dominum


RESPONDENTEM

J. U. Studiosum

perquam industrium!

Quoniam homines inter se tam concordēs vivere non possunt, ut alter alterum non injuria aliqua vel reali vel verbali afficiat, hinc necesse habent ad magistratus sui praesidium tutelamq; confugiant, causam suam legum salubrium, quas magistratus dedit, tutamine munitant. Veram cum omnibus non datum sit lites suas eo ordine, justo acumine judicii, justa observantia reverentiaque qua decet magistratui proponant, sensumque legum non intelligant, magistratus bono saluberrimoque instituto ordinavit Advocatos causarumque patronos, legumque interpretes qui injuriis pressorum querelis suo consilio succurrant & christiana dexteritate non ut animos ad se invicem incendiant, ad rixandum inflamment, lites ex litibus ferant, crumenas emungant; magistratui suorum clientiam justam causam rationibus munitam, legibus fundatam perorent, forenses estam placidissime exstinguant. Sicque jurisprudentiae, cujus beneficio talia utilia organa reipubl. fiunt navant operam; Ex isto
The-

Themidos sanctissimæ cultorum ordine, Tu amice honoratissime haud postremus es, quorum scopus est tandem aliquando themidos mistas agant. Quanto itaque studio huic jurisprudentiæ incumbas hætenus insigni tua diligentia probasti, & ut nunc hoc pluribus constaret, dulcissimæque patriæ innotesceret hoc specimen philosophiæ nat. edis, quo specimine te prima fundamenta jurisprudentiæ, id est philosophiam non insuperbabere probas; quibus fundamentis si tuum juris studium, ut feliciter cepisti, ulterius superstruas, nullum dubium quin aliquando mensuram boni jurisc. magno famæ decore implere queas, strenissimumque justitiæ Patronum possis agere. Huic tuo labori Deus T. O. M. benedicat, ac patriæ tuæ dignissimum fias organum, totique splendidissimæ familiæ gaudio decori & ornamentosis! id est quod tibi amice honoratissime opto.
Kilia 1709. d. 1. Aug. 4. hora nona mane.



S. 1.
Homo ratione sua substantia est prorsus ineptus
ad volandum.

Exegetis.



Hema vel argumentum, de quo hæc
dissertatio conscripta est, est de famo-
sissima quæstione; an possit homo
volare? quod artificium multi magni
nominis viri & inclutæ famæ eruditi
docere voluerunt, ac etiam methodum juxta quam
homo ad volandum aptus fieri queat demonstrarunt.
Neque artificium adeo recens est, sed omnino ante
tempus *Ovidii*, quando fingit *Icarum* una cum *Dæda-*
lo patre suo, qui alis ex cera constructis volare vo-
luerunt, & sarcastice illorum hominum vanita-
tem ridet. Horum magnorum virorum inventum ac
industriam laudamus quidem; ast impossibile esse
hominem posse reddi volatilem, ita ut per aerem vo-
let instar avis, hujus dissertationis contextu demon-
straturi sumus. Illi magni viri, qui contrarium sta-
tuunt, nobis non vitio vertent, quod ab eorum opinio-
ne divortium faciamus, hacque nostra negatione nil
eorum æstimationi, nilque eorum industriæ detra-

A

ctum

ctum volumus, sed ut *Joves* in eruditorum cælo nunquam non honoraturi sumus. Ut quoque nos libere philosophantes ferant, humanissime rogamus. Verum quid multis? illud enim jus quod sibi in asserendo sumunt præclarissimi viri, nobis in hoc negando idem vindicamus: Itaque ad rem ipsam.

Dicimus quod homo ratione suæ substantiæ sit ineptus ad volatum, quippe a Deo T. O. M. factus (1.) ut habeat corpus erectum & ad sidera tollat vultum; hinc etiam omnia ossa, omnes aliæ partes totius corporis, sic sunt compositæ, ut lineam rectam in erecto corpore dispositæ faciant (2.) *Homo duobus pedibus* est instructus & fere ad dimidium divisus usque ad ventrem; & isti pedes sunt ita formati, ut corpus in sublime erectum bajulent. Huic autem hominis substantiæ in erectum adeo factæ, nil magis adversum est, nilque magis violentum, quam si pronum debeat habere situm, qui situs toti corpori est noxius & adversus, præprimis ad durationem longioris temporis. (3.) *Substantiæ hominis* situs contrarius est in pronitate, aut pronum habere corpus, quoniam in isto situ omnia viscera in humano corpore patiuntur aliquid violenti, quod jam per partes demonstraturi sumus.

§. 2.

Homo ineptus est ad volatum respectu capitis.

Exegetis.

Caput, quod est sensuum metropolis, in quo omnium sensuum organa sunt sita: itaque, (1.) ratione suæ figuræ ut quæ rotunda est, non permittit ut sem-

semper pronum terram versus aspiciat, siquidem ipsius natura & figura exigit, ut sursum tendat & recto tramite suo trunco innitatur. (2.) *Caput* ineptum est ad pronitatem ratione oculorum, ut qui sic sunt formati magis sursum quam deorsum reflectantur; pro in iste situs, quo deorsum spectant, ipsis oculis esset violentus, & humores nimium affluerent in oculos, si adeo crebro deorsum spectare cogherentur (3) *Caput* ad pronitatem est ineptum, ratione narium, vel nasi, qui ita formatus est ut capite recto spiritum attrahat, ac debito tempore muco suo purgetur. Hic autem in pronitate semper afflueret, & inspiratio auræ neque tam commode succederet. (4.) *Caput* ineptum est ad pronitatem ratione oris, os etenim ita comparatum, ut in erecto corpore labia pulcre sibi invicem sint connexa citra omnem deformitatem. Verum in pronitate capitis labia deformiter cohærent, & omnis venustas exulat, tunc præterea respiratio & inspiratio, in cujus vicissitudine vita consistit, pessime succederet, & non tam commode aer hauriri posset, inque tam veloci motu, qui est in volatu aer supprimi posset. Porro etiam Saliva in nimia quantitate efflueret (5.) *Caput* ineptum est ad pronitatem ratione cerebri; cerebrum quippe habet situm erecti corporis figuræ accommodatum, imo cerebrum est quasi æquilibrium quod hominem in erecta statura, qua graditur, conservat. Quod si caput esset pronum, etiam hoc antrorsum vergeret. Metuendum etiam esset, ne motus Spirituum ab ordinario tramite suo discedens, corpus humanum, etiamsi artificiosissime Ma-

chinis adjuvetur instar stipitis terram versus pro-
sternat, (6.) *Facies* quoque in homine nimis lon-
ga & lata est, hincque ad aerem dividendum mi-
nus idonea. (7.) *Nervi* & *musculi* caput sustinen-
tes sunt ita modificati, ut caput erectum sustinere
valeant, minime autem tam robusti sunt, tamque fir-
mi, ut caput pronum atque pendulum suffulcire que-
ant; nihil nunc dicamus, quod ille pronus situs ca-
pitis, maxime etiam contrarius sit aurium structuræ,
ipse quippe auditus, valde vitaretur, & non debito
modo vel modo naturæ convenienti aer in aurium ca-
vitates irrumperet: nam isto celeri motu volatus, e-
tiam aer nimis celeriter aurium cavitates ingredere-
tur. E contra si caput avis spectemus, id ipsum to-
tum plumis est vestitum, & in acutum rostrum definit.
Os habet quoque cortice duro munitum & angustum.
Aures defendunt plumæ circumnatae ita ut aer ingre-
diens paulatim & non cum impetu hauriatur, quoque
oculos circumstant plumarum agmina, quæ vehe-
mentem irruptionem aeris sufflaminant.

S. 3.

*Homo ad volatum ineptus est ratione pectoris.**Exegesis.*

Pectus est illa cavitas media humani corporis, in
qua jacent & sita sunt viscera vitalia, ut sunt cor & pul-
mones &c. quod autem pectus obstet & impediat ut
homo non possit volare, constabit partim ex structura
partium externarum. Costæ non sunt eo fine forma-
tæ, vel non habent figuram ad volatum aptam, si-
quidem ita sunt formatae, ut illarum phalanges
corpus

corpus erectum fulciant, & non pendulum sustinere possint. Neque etiam (2.) deorsum vel partes posteriores pectoris sunt aptatae ad volandum, sed ad corpus, ut ipsum erectum conservent. (3.) Ratione partium internarum, primo occurrunt pulmones; hi ita facti sunt ut perpetuo gaudeant motu in situ erecto. Atque in tali situ optime succedit respiratio. Si pectus sit pronum, pulmones sunt in statu violento & comprimunt & etiam comprimuntur a partibus adjacentibus. Hinc respiratio difficillime succederet, quemadmodum experiri datur, si pectus solito diutius pronum retineamus. Imo diaphragma & Musculi intercostales in istiusmodi situ liberum aeris & respirationis motum sufflaminarent atque impedirent. (4.) Quid de corde dicendum est? quod nobilissimum viscus magna afficeremus injuria; si hoc pronum in pectore esse juberemus diu & crebro, tunc etiam magis antrosum vergeret, situm mutaret, & ex statu naturali ex situ ipsi maxime adaequato, maxime commodo, violentum in situm, ipsi contrarium traheretur. Et quid fieret de motu Sanguinis qui certe non isto modo in eodem tenore maneret. Tum quod ad figuram pectoris attinet, figura pectoris & figura dorsi in avibus toto caelo differt a pectore hominis; pectus hominis est planum nisi quod protuberent mammae. Pectus in avibus singulari osse, trifidi instar scuti munitum, in acutum desinenti, cujus lateribus caro abundans adnata est. Pectus avium luxuriantibus plumis obfessum; quae plumae pectoris multum conferunt ad volatum. Pectus etiam

in avibus majus est ventre, quoniam robur ad volatum fitum est maximam partem in pectore. In homine autem venter major & amplior est pectore. Hominis quoque pectus est glabrum nullis plumis instructum, nisi quod in quorundam hominum pectoribus luxurient pili. Pili autem ad volatum nil quicquam conferunt, toto cœlo differunt a plumis.

§. 4.

Homo ad volatum ineptus est ratione ventris.

Exegesis.

Quod si ventrem hominis respiciamus & consideremus, qui est cavitas, in qua intestina, in qua hepar & lien pancreas & cætera sunt sita, ac quod maxime considerationem meretur in ventre, quoque in eo jacet ventriculus in quo fit ciborum digestio & concoctio. Illæ partes omnes ita formatæ & constitutæ sunt, ut in corpore erecto nil violenti patiantur, neque se invicem premant aut in functionibus suis sibi impedimento sint. E contra in corpore prono jacente situm suum naturalem mutare coguntur, ac se invicem premunt. Sicque (1) ventriculus in suo naturali statu habet duo orificia superius & inferius: superius orificium in corpore prono premeretur a copia cibi & potus ingesti, & istuc conflueret: orificium inferius etiam non posset sensim emittere ex se materiam concoctam & digestam. (2.) Hepar quod ventriculo incumbit suo lobo etiam nimium antrorsum vergeret, & violentiæ subjaceret. (3.) Pancreas cui incumbit ventriculus tanquam pulvinari, ventriculum gravaret (4) diaphragma suum motum

motum systoles & diastoles observare non posset; summa: totus ordo inverteretur. (5) Figura ventriculi etiam obstat volatui ut qui non habet fulcimentum quo in suo situ possit servari, propter pressuram intrinsecarum partium. Venter avis multo aliter sese habet, hic ipse plumosus, & non facit maximam partem corporis ut venter in homine, tum etiam partes intrinsecæ ventris avis sunt ita dispositæ ut volatui obesse non possint.

§. 5.

*Homo ineptus est ad volatum ratione spinae dorsi.**Exegesis.*

Spinam dorsi componunt diversæ vertebrae & subtilem contextum faciunt, satis quidem robustum ad corpus in figura erecta suffulciendum, sed minime ad corpus pronum bajulandum. Spinæ dorsi vertebrae elegantissime corpus erectum sustinent, at valde deformem figuram in corpore prono parerent: proin spina dorsi est nimis imbecillis corpus pronum & pendulum sustinere valeat. Spina dorsi in ave, facit minimam partem corporis, & ejusmodi spinam in ave quoque fulcit & suffulcit amplissimum os quod pectori instar scuti substratum est, huic ossi ista spina imminet, tanquam firmo fulcro, ita ut spina in ave nullum onus ferat. Verum e contra in homine totum corpus sustinet, & magis ultraque vires suas & robur suum sustineret corpus pronum ac ita in medio aere pendulum, ac tam vehementissimo motui volatus expositum, metus esset, ne in tali motu vibrationis atque circum girationis, inque motu isto

isto

isto celerrimo ascensus & descensus rumperetur, & ponderositas ventris, qui antrorsum vergit, spinam diffringeret, vertebraeque luxaret. Quod tanquam clavus, & sic principalissime ad volatum requiritur, eo etiam caret homo, & hoc ipsum est *Uropygium*. *Matthias Martinus Orrhopygium* vocat, quod spinæ avis est annexum, cui cauda innata, hocque est musculus, quem pro lubitu sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum movent motitantque aves. Et quod navi est clavus, hoc est *orrhopygium* una cum cauda avi, quo volatum suum convenientissime elegantissimeque dirigit, quo prout res postulat caudam dilatat, constringit, deprimit attollit &c. Optime *Plinius* l. x. c. 10. *artem gubernandi navium docuisse (aves) caudæ flexibus in celo monstrante natura, quid opus esset in profundo.* Hinc etiam aves cauda carentes inconstanter, ac quasi saltuatim volant, nec alto sese committere audent; Hocque homini ejusque spinæ affui non potest, hinc maxime ad volandum ineptus est.

§. 6.

Homo ad volatum ineptus est ratione lumborum ventri annexorum.

Exegetis.

Lumbi eleganti sua figura, elegantique protuberatione carnis sese commendant, & sunt columnæ una cum pedibus totius corporis, quorum officium est, ut totum corpus in ingressu incessuque suo concinne bajulent, & a loco ad locum promoveant. Hi propter carnis luxuriam & ponderositatem penduli sint
æрге

ægre ferunt, illorum muscoli, nervi & tendines tantum roboris non possident, ut illa corpora, tam copiosa carne onusta pendentia in libero aere ferre queant, ut quorum ductus sic sunt formati, corpus erectum teneant & tenere valeant. Præterea volatus exigit ut pedes immoti & immobiles maneant. Quod autem in homine fieri non posset, quippe lumbos sic tenere connixos ac sibi invicem adstrictos in illa suspensione esset impossibile. Obstant quoque suræ quæ nimis latæ, quas si premeret aer facillime hominem præcipitaret. Lumborum, pedumque ponderositas fere adæquat mediam partem gravitatis hominis. Ista gravitas ægre imo ægerrime sustineri potest a partibus quæ lumbos in erecto corpore bajulare queunt. E contra avium lumbi atque pedes sunt graciles & habent musculos, nervos tendinesque, qui possunt pedes, retrorsum reflexos, sub cauda aptissime continere, ita ut sic retracti sub caudæ velamine quiescant, donec avis corpus suum sistere vult, tunc a volatu in pedes dilabuntur. Præterea habent aves lumbos suos plumis luxuriantibus ita circumdatos, ita ut quoque istæ plumæ plurimum faciant, corpus in aere pendulum manere ac pro lubitu, sursum deorsumque imo sese circumgirare avis queat.

§. 7.

Partes, quibus alæ annecti debent & materia alarum, definiri non possunt.

Exegetis.

Alæ sunt organa quorum beneficio volatus institui-

B

stitui-

stituitur, harum materia vel est ex plumis vel ex pellucula vel membranula ut sunt alæ vespertilionum. Præterea deficient partes, quibus afflui debent in homine: quã hic cœcutiat humana industria fatit patet, *brachia* sunt quidem omnium aptissima membra quibus alæ jungi deberent, sed *brachia* sunt nimis imbecillia, quam ut tale corpus, quod prorsus indispositum est ad volatum in aere pendulum sustinere possint, *brachia* affixa sunt humeris, & corpus quod infra *brachiorum* regionem est, hoc in se spectatum est tam grave ut si corpus ferre deberent pendulum in statu erecto vix tantum roboris possiderent, cum omni vi privarentur ac in totum languescerent, itaque (1) *fabrica* *brachiorum* volatum impedit (2) *brachia* non habent tam robustos musculos nervos & tendines, qui possent in *brachiis* tantum pati motum, quemadmodum in volatu requiritur; nam necesse est ut in volatu sursum deorsumque *brachia* agitentur, quæ continua agitatio ita *brachia* dilaffaret, itaque enervaret ut solum homo peteret. Dicat quoque quis modum quo alligari debent alæ! vel ut communiter necesse est fiat funibus. Funes vero isti nimium constringerent *brachiorum* carnem; vel pectori aut lateribus alligandæ sunt alæ & per certas ansas inferenda sunt *brachia*. Verum hæc esset miserrima *fabrica* quæ *brachia* inermia faceret. Porro homo per unum vel alterum annum exercendus esset in quadam palæstra eo fine instituta, in qua singulis diebus *brachia* motitaret ut aves motitant

titant

titant alas, ut sic consuetudinem motitandi brachia adscisceret. Porro alæ quoque quam longæ essent faciendæ quæri posset? Forte tam longæ essent constituendæ, ut terque quaterque longitudinem hominis superarent, ut tantum venti tantumque aeris suo ambitu complecterentur, ut aer & ventus corpus hominis ferre possent. Quam grave autem hoc foret brachiis tantam molem alarum portare, tantam molem alarum ventilare, tantam molem alarum sursum deorsumque citra lassitudinem dirigere. Quod ad materiam attinet & hæc inventu difficilis est, plumæ tam longæ ut hæ alæ requirunt, non dantur: Aquilarum, cygnorum anserumque pennæ sunt. nimis breves: ergo dices plumæ plumis jungendæ sunt quæritur igitur qua materia assuendæ sint, ne violetur ille arctissimus contextus, quo plumæ in pennis sibi tam arcte cohærent, ut videri datur, ut ne quidem transmittant aerem; quod si sibi invicem assuerentur, tunc ille contextus arctus plumarum in pennis a se invicem disjungeretur, itaque plumæ & pennæ nullæ dantur propter magnitudinis defectum. Constat præterea quod plumæ cum parte cui insertæ sunt tam arctum commercium habeant, ut quoque istius partis nutrimento alantur & cum parte illa contextum continuum faciant. Cum autem hoc de alis annexis promittere nobis non possimus, hinc claret quod alæ nec commode brachiis nec commode aliis partibus jungi queant. Sed inquirendum, an ne subtiles membranæ assumendæ in alarum materiam quemadmodum sunt vespertilionum alæ? Verum hæc alarum

materia etiam multas difficultates habet, tunc quippe alæ essent efformandæ ad alarum vespertilionum structuram. Vespertilionum alas quinque, si non plures tendines vel nervi connectunt & in sua figura retinent. Quare opus hic esset nervis vel ex priapo tauri vel ex priapo balænæ, quibus membranæ alligandæ, & hic alarum contextus corpori vel brachiis esset astringendus. Verum apage hanc monstrosam, monstrosumque facientem hominem, structuram.

§. 8.

Homo ad volatum ineptus est propter certos morbos capitis ad quos ut plurimum inclinatur.

Exegetis.

Quilibet prudens vir de futuris magis sollicitus erit quam de præsentibus. Ita etiam qui homini vult suadere volatum, ille etiam primo expendet an constitutio corporis permittat, quippe notum est, quod homo vel homines plurimi, si ex alto prospiciant vertigine corripiantur, quæ vertigo potens est hominem humi sternere, & hæc vertigo omnium maxime metuenda in tam celerrimo motu volatus, quo corpus tam celerrime per aerem fertur, ac ex alto prospicit (2) *metuendum* ne spasmus vel brachia vel pedes invadat, qui si invadat natanteis, ipsis pereundum est. Multo magis spasmus hominem ex alto in terram præcipitem ageret, ut itaque homo præsentissimo vitæ periculo sese exponeret. Imo illa vertigo, illeque spasmus periculosior spasmis, vel vertigine

tigine

tigine ordinaria, & certissimum præcipitium minitarentur.

§. 9.
An nudus vel veste indutus homo volare debeat, definiri non potest.

Exegetis.

Quam impossibile sit hominis corpus ad volatum aptum reddatur, jam per aliquod paginas & theses demonstravimus. Quamquam autem hæc opinio minime amplectenda sit, etiam hinc constat, quoniam definiri non potest, sine formidine oppositi an nudus vel veste indutus volare debeat. Nudum corpus exponere conspectui hominum homini probro & dedecori esset, & conspicientibus ludibrio, tum etiam natura humana propter decori recepti observantiam a nuditate abhorret. Dico propter decori recepti observantiam. Quod si essemus apud indos ubi populi nudi incedunt, ubi nuditas nemini vitio vertitur, nec decorum violatur, istic forsan nuditas inveniret locum (2) aeris inclementia sive frigidi sive calidi etiam nuditatem prohibet, tum & metus est, ne culices, muscæ, vel alia insecta corpus invadant. Sicque primo nuditas ad volatum non potest tolerari, aut permitti; Ergo requiritur vestitus. Hic autem quæstio est de materia vestis & de forma vestis. Materia vestis facile potest inveniri quæ vel sit ex linteocera obducto, vel ex membrana aut pelliculis agnorum, & huic assuendæ sunt, plumæ ut totum corpus sit plumosum, totum corpus plumis vestitum. Sed

B 3

quali

quali forma sit talis vestis consuenda. Longæ & diffluentes tunicæ sunt in utiles, proin oportet quod vestis talis conficiatur, quæ hominis formæ & figuræ sit adæquata, ita ut cuti presse adhæreat ac non in rugas & plicas diffluat; Clunibus & lumbis femoralia arcte cohærentia instar cuticulæ annatæ erunt efformanda; sed an tam arcte vestis corpori obsit in tam celerrimo motu merito quæritur? nam ad minimum vestis ita erit aptanda corpori, ut motum liberum habeat corpus, motum liberum habeant brachia, pedes, sed hoc vix fieri potest, proin etiam ratione vestimenti non exigua difficultas emergit: Nam si tam arcta est vestis ut corpori stricte adhæreat, in motu corporis & agitatione brachiorum vestis rumperetur sicque per ejusmodi hiatum & foramen vestis inclemens aer læderet corpus.

§. 10.

Aer ad ferendum corpus tam grave nimis subtilis est nimisque inconstans.

Exegetis.

Aer ut hoc ex philosophia naturali cognoscimus est corpus vel substantia fluidissima, subtilissima, in qua ne quidem granum arenæ pendulum manere potest: Imo videmus quomodo quotidie subsideant, & ad terram tendant subtilissimorum pulverum congeries, imo & ipsæ, plumæ, quæ tamen leves sunt in aere sustineri non possunt, neque pendulæ possunt manere, ad terram ruant, quid autem sensim sensimque fieret de homine, qui corpus habet adeo

com-

compactum, adeo magnis ossibus instructum, hoc utique multo minus in aere posset manere suspensum. Præterea aer inconstans est, ita ut modo sit subtilis modo crassus; hæc continua aeris vicissitudo, etiam difficilem redderet volatum. Sed opponi posset, quod in aere volitent nubes & celerrimo impetu a loco ad locum ferantur quæ tamen constant materia gravi, qualis est aqua? Verum respondetur: nubes aliam figuram habent quam aquæ habere solent, aquæ in nubium corpore instar lanæ carminatæ cohærent & particulæ sunt valde porosæ; ita ut tunc ordinaria gravitate careant & leves sint factæ, talis metamorphosis contingere non potest in hominis corpore hoc enim suam innatam servat gravitatem: itaque respectu aeris etiam homo ad volatum ineptus est. Tum præterea ut hoc addamus, homo ad gradiendum a Deo factus est non ad volandum; sicque ordo Dei ab ipso sapientissime institutus violaretur. Restat ergo, operam demus menti nostræ addamus alas, quibus tendamus in notitiam benignissimi nostri creatoris & alas ingenii exerceamus ad solidam eruditionem comparandam, quam ut corpus ad gradiendum a Deo factum & dispositum volatile reddere conemur. Quod si curiosa hominum industria nova invenire velit, præstat talia indaget quæ humano generi possunt esse usui, neque etiam hactenus habemus ullum exemplum vel experimentum, quod volatus homini alicui commodo fuerit, sed habemus e contra exempla quod homines volaturi crura fregerint. Quod si etiam accurate expendamus

damus

damus volatum hominis, tunc exinde admodum exiguum commodum in rempublicam humanumque genus redundat. Nemo ex hominibus unquam ad tantum perfectionis gradum, etiam longissima consuetudine pervenire potest, ut tabellarii officio fungatur, & nemora, montium cacumina, maria, quolibet anni tempore & qualibet tempestate volatu transire possit. Multo minus hoc commodi ex hoc hominum volatu sperari potest ut ope hujus artis aliquod commercium literarium cum incolis lunæ possit obtineri. Quippe (1.) *omnia* quæ de incolis Lunæ, præclarissimi quidam viri commenti sunt, formidine incerti oppositique laborant. (2.) Estque tanta lunæ a terra altitudo, ut hujus spatium homo volatu suo emetiri non posset, (3.) media aeris regio frigore suo, suprema calore suo, hominem interficeret; ne nunc alias difficultates, quæ hoc iter impossibile faciunt commemorem. Est itaque inanis hominum istorum labor, quo majori commo-
modo abstinemus, quam ut ei demus operam, tempusque impendamus. Sicque huic dissertationi imponimus finem, & ne plures Icari in mare præcipites fiant, optamus, & hac inani arte & vano invento sese vitui hominum exponant; *sat bibere prata!*

S. D. G.



COROLLARIA.

I.

IN physicis multa nos latent.

II.

Materia prima datur & non
datur

III.

Studium physicum Theologo
Juris perito & apprime medico ne-
cessarium est.

IV.

Natura non impedita in omni-
um corporum naturalium genesi
ad suum prædestinatum finem
tendit.

V.

Sensus non sunt infallibilia or-
gana.

C

VI.

VI.

Non datur spatium extra coeli
& terræ systema imaginarium.

VII.

Datur allgebra divinatoria, qua-
libet divinatione certior.

VIII.

Chemia per viam siccam datur.

IX.

Chemiæ per viam siccam obje-
ctum est omne corpus naturale.

X.

Im pontificem Romanum non
potest committi crimen læsæ maje-
statis.

XI.

Papa Romanus quicquid possi-
det in Romano imperio injusto ti-
tulo possidet.

XII.

XII.

Papæ Romano nullum jus competit in magistratum politicum sed hujus Jurisdictioni subest.

XIII.

Johannes Hus, non Hyronimus Pragensis, paulo ante mortem ad spirituales dixit, centum annis revolutis Deo respondebitis & mihi; testibus Luthero, Matheleo, Mor-næo, Poggio Florentino præsentibus & oculato, ambo autem appellarunt ad vallem Josaphat.

XIV.

Non solum ex structura hominis exque ejus elegantissima Ordinatione mentis & corporis, verum etiam abjectissimi insecti structura admiranda, demonstrari potest Deus.

XV.

XV.

Ratio, qua ratio neglecto scripturæ codice nobis non dictat, vel dictare potest essentialem definitionem Dei.

XVI.

Præceptum Jurisconsultorum: suum cuique tribuere, includit honeste vivere & neminem lædere.

XVII.

Decorum universale omnes gentes tam stricte obligans, quemadmodum honestum, omnes gentes obligans non, datur.

HÆC SUFFICIENT!

